

finis N. Quamvis enim hoc præcise ratione dominii divini possibile sit; quia tamen homo *necessitatem moralem* habet in aliqua saltem peccata venialia indeterminata aut minus deliberata labendi, minus consentaneum foret Legislatori divini sapientiae, bonitati et suavi providentiae, si omnia sub mortali prohiberet.

R. 2^o. D. Cons. Ergo, quod ex genere suo leviter culpabilia, jam sint venialia, hoc est, non prohibita sub mortali, est ex sola Dei misericordia, de quo tamen non queritur C. quod jam facta contra legem leviter obligantem sint venialia, hoc est, non deputentur ad pœnam æternam, est ex sola misericordia N. De hoc autem controversia agitur.

41. *Observa.* Pro discernendo peccato *mortalis* a *veniali* universim hæc regula dari solet: solum illud est mortale, in quo est materia gravis, quantitas notabilis, plena advertentia et consensus voluntatis plenus; illud autem est veniale, in quo unum ex predictis deficit. Atque hinc etiam tertia classis venialium, scilicet ex natura sua talium, de quibus hactenus dicebamus, tres venialium species sub se complectitur.

Alia enim sunt *venialia ex suo genere*, et objecto proprio, quæ nimurum circa objectum ejusmodi versantur, ut, quantumcumque hoc erescat, illa tamen non evadant ad malitiam mortalem; sed fieri tantum mortalia queant vel ex conscientia erronea, vel ex dispositione quadam animi mortali, vel alia ex circumstantia, per quam ad speciem alienam graviter malam transferantur. Talia sunt verbum otiosum, risus nimius et alia ejusmodi.

Alia sunt *venialia ex parvitate materiæ*, quæ scilicet in re parva ac levi committuntur; quale est furtum' unins oboli, utpote quod neque proximum notabiliter laedit, neque est ejusmodi, quod apud eum homines amicitiam tollere queat. Dantur tamen peccata, in quibus nulla materia est *levis*, sed omnis sufficiens ad peccatum mortale, ut sunt odium Dei, blasphemia, heres, perjurium, desperatio, etc., utpote in quibus, quacumque demum in materia deliberate commisis, integra ratio malitiae et tota deformitatis quantitas invenitur. Huc etiam spectat delectatio venerea, in qua parvitas materiæ non datur; cum non possit esse efficaciter volita, quin ipsa pollutio implicite et virtualiter vel placeat, vel intendatur, vel grave ejus periculum incurritur. Quin ab Alex. VII. damnata est hæc inter alias propositiones ordine 40^o. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

Alia sunt *venialia ex imperfectione actus*, quæ nempe ob subreptionem, vel defectum sive cognitionis, sive deliberationis, sive libertatis, sive consensus perfecte voluntaria non sunt, et hinc rationem mortalis culpe non participant; quales sunt subiti motus cupiditatis, iræ, inadvertentie et alii similes, qui prius animum occupant, quam ratio liberare potuerit, an admittendi essent, aut semisopitis obveniunt, aut minus advertentes infestant.

ARTICULUS II.

PER QUÆ PRÆDICATA INTRINSECA DIFFERANT INTER SE PECCATUM MORTALE ET VENIALE?

42. *Nota.* Tres sunt de ipsa essentiali differentia opiniones. 1^o. Est Scoti, quæ dicit mortale, quod est contra legem; veniale, quod est contra consilium; ubi nomine consilii videtur omnia comprehendere, quæ ad salutem non sunt simpliciter necessaria. 2^o. Est S. THOMÆ 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. quæ mortale dicit esse contra legem; veniale autem tantum præter legem; ubi legem non sumit pro ordinatione Dei obligantis quacumque, sed pro lege directe intendente conjunctionem cum Deo seu dilectionem, quæ etiam dicitur finis legis, vel cuius observatio est necessaria ad salutem. 3^o. Est DURANDI, VEGÆ, ADRIANI, multorumque Recentiorum que dicit mortale peccatum esse transgressionem legis graviter obligantis; veniale transgressionem legis leviter obligantis.

Lex autem *graviter obligare* in hac sententia dicitur, cuius observatio præcipitur, aut violatio prohibetur sub intermissione divini odii et inimicitie: *leviter*, cuius adimplatio urgetur aut transgressio vetatur tantum sub ratione aut debito incurrende displicentiae divinae, non autem sub intermissione illa priore. *Signa* porro legis graviter obligantis universim habentur ex Scripturæ effatis, Conciliorum et Pontificum definitionibus, Ecclesiæ ac Patrum sententiis, communī Doctorum aut aliorum etiam prudentum et timoratorum sensu, consuetudine ac usu.

Speciatim vero, si lex continetur in *sacris litteris*, et actio prohibita nominetur abominatio, nefas, detestandum etc., vel dicatur morte aut exclusione a celo digna, vel ob illam Deus minetur per verbum *væ* malum grave, aut quecumque verbis privationem beatitudinis vel pœnas inferni, graviter obligare censetur. Si lex *humana* sit, attendendum est ad verba, quibus obligatio exprimitur: Item ad finem legis, qui si momenti magni sit, et sine obligatione gravi non obtineretur, graviter obligare censetur. Si lex positiva autem non extet, sed ea potius *naturalis* sit, tunc naturali etiam ratione utendum, spectanda materiæ gravitas vel in se, vel in ordine ad Deum, charitatem proximi et sui etiam ipsius. Præterea vero in his omnibus ad signa illa, universim legum obligationem spectantia, recurrentum est.

43. *Dico I.* Peccata non differunt per hoc, quod mortale sit contra legem, veniale contra consilium, vel præter legem.

Prob. Etiam veniale peccatum est contra legem divinam; ergo venialis differentia a mortali non est statuenda in eo, quod veniale sit contra consilium, vel præter legem. *Ant.* *Prob.* 1^o. Veniale peccatum, utpote moraliter malum, est contra regulam morum: sed regula morum est lex divina seu æterna; ergo, 2^o. Ubi non est lex, ibi non est prævaricatio nec malitia: sed in veniali est malitia; ergo, 3^o. Aliqua lex divina prohibet mendacium; nam Levit. 19. v. 11. dicitur: *Non mentiendis*. Et Eccli. 7. v. 14. *Noli velle mentiri*. Item prohibet *non jurare omnino*, nempe sine necessitate. Ubi ne quis existimet datum esse duntaxat consilium, Christus addit Matth. 5.

y. 37. Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. Atqui mendacium ex genere suo et juramentum sine necessitate præcise non est mortale, sed veniale; ergo.

Conf. 1. Si consilium sumatur proprie, quod contra illud est, nequit dici peccatum; ut patet in operibus contra Evangelica consilia positis: Si sumatur late pro iis, quæ ad salutem simpliciter necessaria non sunt, usurpatum vocis est impropria et a Scripturis aliena; cum consilium solam directionem significet ad ea, quæ meliora sunt, eligenda: ut ex 1. ad Corinth. 7. patet.

Conf. 2. Sicut in Républica juxta communem sensum potest ferri et datur lex proprie dicta, quæ aliquid tanquam utile ad bonum Républicæ leviter præcipit, cum necessaria graviter imperat; sic et leges proprie dictæ leviter obligantes in Ecclesia habentur, et in jure naturali æque ac divino inveniuntur.

44. *Dico II.* Propria et essentialis differentia peccatorum est in eo, quod mortale sit libera transgressio legis vel precepti *graviter* obligantis, veniale sit libera transgressio precepti *leviter* tantum obligantis.

Prob. Sicut ex dictis peccata convenient, quod sint transgressio legis; sic mortale et veniale differunt, quod illud sit transgressio legis graviter, hoc leviter obligantis. Ergo sicut *primum* est genus proprium, sic *secundum* est propria differentia.

Conf. 1. Videtur alienum ab æquitate Dei, ejus sapientia suavique prævidentia, sub obligatione gravi prohibere ea, quæ ex se levem deordinatiōnem a recta ratione et oppositionem duntaxat contra liberalitatem, magnificētiam, extrapeliam aut veracitatem dicunt: aut quæ minimam materiæ quantitatē, ubi haec deformitatem minuit, habent: aut quæ sine advertentiā, libertate vel consensu ad morales alias actiones requisito, committuntur; nisi Deus finem alium extrinsecum obligationis gravis habeat, eumque manifestet; ergo, cum ea tamen peccata sint, sub obligatione levi debent esse prohibita. Ergo omni peccato veniali, scilicet quod vel ex genere suo, vel ex parvitate materiæ, vel ex actus imperfectione tale dicitur, convenit esse transgressionem legis vel precepti leviter obligantis.

Conf. 2. Nullum mortale prohibetur tantum sub obligatione levi: numerus vero, periculum, contemptus etc., propter quæ dicuntur peccata venialia transire in mortale, sub obligatione gravi prohibentur, ut singula percurrenti manifestum est; ergo transgressio legis leviter obligantis soli veniali convenit.

Conf. 3. Esse transgressionem legis graviter vel leviter obligantis *prius* est, quam esse aversionem a Deo vel ejus contemptum, aut non esse hanc aversionem et contemptum; quia peccatum mortale est exercita aversio a Deo et ejus virtualis contemptus ex eo, quod sit libera transgressio legis graviter, hoc est, sub interminatione odii, et inimicitiae divine obligantis: et ideo veniale non est aversio ejusmodi aut contemptus, quia non est transgressio legis sub hac ratione obligantis. Similiter eo ipso, quod mortale sit contra legem *graviter* obligantem, per illud amittitur amicitia et gratia Dei, sit irreparabile, et incurritur reatus poenae aeternæ: et ob contrariam rationem id non sit in et ex veniali. Ergo hoc prædicatum est radix reliquorum: *primum* item est ac primarium, cum aliud prius assignari nequeat.

43. Obj. Cont. 1^{um}. Peccatum veniale non est contra legem nisi secundum quid; ergo simpliciter debet dici tantum esse præter legem. *Ant.* *Prob.* 1^o. Qui venialiter peccat, simpliciter adhuc dicitur servare legem, ut patet ex Luc. 1. v. 6. ubi Zacharias et Elisabeth, quamvis venialiter subinde lapsi, dicuntur *incidentes in mandatis Domini sine querela*. 2^o. Quia Matth. 19. v. 17. is dicitur *servare mandata*, qui potest *ad vitam ingredi*: sed etiam venialiter peccans potest ingredi ad vitam; cum veniale differat quidem ingressum, simpliciter tamen a regno cœli non excludat. 3^o. Quia legem et mandata servat, qui Deum diligit, ut ait Christus Joan. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate*; et Apostolus ad Rom. 13. v. 10. *Plenitudo legis est dilectio*; venialiter autem peccans Deum adhuc diligit, et habet dilectionem. 4^o. Quia Jac. 2. v. 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Venialiter autem peccans non fit omnium reus; ergo nec offendit in uno, scilicet mandato.

R. D. A. Non est contra legem antonomastice talem, quæ scilicet directe intendit conjunctionem cum Deo, habetque pro fine dilectionem, unde et in Scriptura simpliciter lex dicitur. *C.* non est contra legem Dei vere adhuc et proprie talem *N.* Hinc

Ad Prob. 1^{am}. R. Elisabeth et Zacharias dicuntur incidentes in omnibus mandatis graviter obligantibus, non autem levem obligationem afferentibus.

Ad 2^{am}. R. Christus ibid. v. 18. explicat, quæ mandata intelligat, nempe Decalogi precepta.

Ad 3^{am}. R. Similiter, sermonem esse de mandatis et lege, quæ antonomastice talia sunt, et ea simpliciter in Scriptura nominantur, ut ex ipsis verbis constat.

Ad 4^{am}. R. Qui graviter offendit in uno, fit omnium reus; non quod omnia peccata committat, aut omnium incurrat reatum, ut Hæretici aiunt: sed quod avertatur et separetur a Deo, et ita finem legis amittat. Unde consequentia de mandato graviter obligante explicanda est.

Inst. Constat ex Matth. 22. v. 40. quod *in his duobus*, scilicet dilectione Dei et proximi, *universa lex pendet et Prophetæ*. Unde licet reliqua præcepta in se distinguantur a charitate, tamen id, quod charitati contrarium non est, nulli præcepto censetur perfecte contrarium. Sed veniale est tantum præter charitatem, hoc est, secundum quid contra illam; ergo. *Conf.* Lex datur pro ratione utentibus, et tanquam regula prescribit medium, quo perveniatur ad finem. Veniale autem *ex imperfectione actus* est tantum actus secundum quid rationalis et humanus; ergo et tantum secundum quid transgressio legis: veniale *ex levitate materiæ* non est contra regulam præscribentem medium, quo perveniatur ad finem ultimum; ergo est tantum contra legem secundum quid, non autem simpliciter talem.

R. Eadem responsio reddit de lege, cuius finis est conjunctio cum Deo et charitas habitualis, non autem quæ quacumque ratione vere aliquid ac proprie imperat aut vetat.

Ad Conf. R. quoad 1^{am}. Sicut defectus ille libertatis, deliberationis aut consensus non impedit, quominus actus adhuc simpliciter dicatur malus; sic non impedit, quominus simpliciter sit contra legem. Unde *D. Cons.* est tantum secundum quid transgressio legis graviter obligantis *C.* leviter obli-

gantis N. Ipsa actus imperfectio facit, ut modus obligandi in lege alius sit, atque hinc virtualiter saltem alia lex, leviter nempe obligans, habeatur ac violetur.

Quod 2^{um}. R. Legem graviter obligantem esse regulam præscribentem medium necessarium ad obtinendum finem ultimum, leviter obligantem autem prescribere medium ad hunc finem *utile*. Unde patet, quomodo veniale adhuc simpliciter dici possit repugnare regulæ medium præscribenti: præsertim cum, quia disponit ad mortale, remote saltem et mediate adversetur regulæ etiam medium necessarium ordinanti.

46. *Obj. Cont. 2^{um}.* Furtum grave et leve est contra idem præceptum, ergo ab hoc non specificatur; præsertim cum magnum et parvum, perfectum et imperfectum circa eamdem materiam non mutant speciem. *Conf. 1.* Objecta quadam de se sunt gravia, et exigunt *graviter* prohiberi: quadam sunt levia; ergo differentia malitiæ mortalitatem et venialis petenda est a materia gravi vel levi. *Conf. 2.* Peccatum mortale committi potest sine transgressione legis *graviter* obligantis, ut si quis ex conscientia erronea mendacium jocosum esse mortale ratus deliberate mentiatur; quia non datur lex divina graviter prohibens mendacium jocosum; ergo.

R. D. A. Est contra idem præceptum generice spectatum C. specificum sumptum *subd.* si præcise spectetur substantia legis et materiae C. si spectetur quantitas materiae et modus obligandi in lege N. Ad rationem additam D. non mutant speciem in genere physico, et si aestimentur tantum ex objectis C. in genere morali, et si aestimentur ex legibus et secundum modum in illas tendendi N.

Ad Conf. 1^{am}. D. Cons. Differentia malitiæ formalis et completæ petenda est a materia N. malitiæ radiæ et inchoatæ *subd.* differentia universalis N. particularis C.

Ad Conf. 2^{am}. N. A. rationem D. non datur lex divina directa et per se graviter prohibens mendacium jocosum C. lex reflexa et mendacium per accidens graviter prohibens N. In circumstantiis enim conscientiae erroneæ Deus graviter obligat non agere illud, quod judicatur mortale, ut dictum de Conscientia in Tr. de Act. hum.

Inst. 1. Sap. 1. v. 11. Os, quod mentitur, occidit animam. Ergo veniale peccatum, cuius exemplum supra in mendacio datum fuit, etiam est contra præceptum graviter obligans, et hinc assignata differentia fallit.

R. D. Cons. Ergo mendacium graviter noxiæ proximo, vel conjunctum cum perjurio est contra præceptum graviter obligans C. mendacium ex genere suo, aut jocosum præcise N. Primi generis circumstantiam explicat ipse Scripturæ contextus: *Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite lingue, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: Os autem, quod mentitur, occidit animam.* Alterius generis circumstantiam addit S. AUGUSTINUS, qui testimonium Sermon. 28. de verbis Apostoli c. 7. (al. 180. n. 8.) in hunc sensum usurpat: *Recedit anima, cum corpus percudit gladio: et putas, quia non recedit Deus, cum ipsa anima feritur perjurio? vis videre quia mortuus est, de quo loqueris?* Lege Scripturam: *Os, quod mentitur, occidit animam.*

Inst. 2. Peccans venialiter bono creato delectabili fruatur; non enim eo

tantum utitur, si quidem illud ad Deum tanquam finem ultimum non refert: inter usum autem et fruitionem medium non datur, cum teste AUGUSTINO, omnis, qui aliquid amat, amet aut utens aut fruens. Atqui teste D. TH. 1. 2. q. 11. a. 3. fruitio non debet esse nisi ultimi finis; et hinc, qui bono creato fruatur, illud finem suum ultimum statuit, ac consequenter graviter peccat; ergo.

R. N. M. Sic enim S. TH. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 3. loquitur: *Dicendum, quod ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens referens in Deum non actu, sed habitu.* Hinc

Prob. 1^{am}. D. Peccans venialiter non refert bonum creatum ad Deum actu C. habitu N. Habitum autem etiam objectum creatum ad Deum refert, quantum vi presentis actionis charitatem habitualem non tollit, nec relationem objecti ad Deum positive excludit, nec referibilitatem seu ordinationem ejusdem ad finem ulteriorem et ultimum aufert, ut approbantibus Suarez et Vasquez, Cajetanus interpretatur.

Prob. 2^{am}. N. Juxta D. TH. in 2^{um}. Dist. 42. a. 2. q. 1. inter usum et fruitionem intercedit abusus; simili ratione loquitur S. AUG. L. 1. de Doctr. Christ. c. 4. *Fru est amore alicui rei inhære propter se ipsam: uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtainendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius vel abusio nominandus est.* Ex quo alius AUGUSTINI locus sine libro indicatus explicandus est.

QUERES: An peccatum veniale sit offensa Dei?

47. Nota. Qui *veniale* negant proprie esse contra legem Dei, consequenter etiam asserunt, illud non esse proprie ac simpliciter, sed analogice tantum et secundum quid offensam Dei. Alii tametsi *veniale* transgressionem divinae legis fateantur, propriam tamen Dei offensam negant, eo quod *veniale* non tribuat Deo jus auferendi ab homine aut minuendi gratiam habitualem, aut dissolvendi amicitiam vel conjunctionem cum Deo, in quo unice proprietatem offensæ simpliciter talis constituant. Reliqui contra cum Vasquez distinguunt inter offensam gravem et levem. Illam dicunt actionem, quæ sit aversio a Deo et tollat amicitiam: hanc vero, quæ quocumque modo sit contra voluntatem Dei, eique displiceat. Utramque porro vocant etiam personalem Dei offensam, supposita jam lege divina. Cum his, secundum systema doctrinæ hactenus traditæ,

48. R. Peccatum veniale est proprie offensa Dei, sed levis.

Prob. 1^a. pars. Ad offensam propriam requiritur et sufficit, ut 1^o. actio displiceat illi, qui ea offendit: 2^o. ut ejusmodi actio sic sit contra illum, ut is de ea juste conqueri possit, aut ægre eam ferre; quia per postremum proprie offensa redditur personalis. Atqui utrumque convenit peccato veniali. Nam 1^o. omne veniale, utpote cum bonitate Dei aliquo modo pugnans, illi displicet. 2^o. Est etiam actio contra Deum ejusmodi, quam ipse ægre ferre debet, et de qua juste conqueri potest; cum sit transgressio præcepti, quam sub sua displicentia, culpa item et poena prohibuit; ergo.

Conf. Ex sanctis PATRIBUS apud VEGAM in Tridentinum, qui ex hoc præsertim capite quodcumque veniale peccatum exaggerant. Et quamvis illud Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*, possit ex voce maxime græca eo sensu intelligi, quo homo dicitur offendere ad lapidem et cadere; favere tamen nostræ responsioni Suarez, licet contrarius, fatetur. 2^a. Pars constat ex art. 1.

Nec dicas 1^o. Quamvis Regi errata subditorum, et negligentia discipulorum Præceptoris displiceant, tamen hæc et similia non continent injuriam personæ illatam, nec sunt offensa proprie talis; ergo a pari peccata venialia.

R. N. *Cons.* Priora nihil sunt nisi actiones præcise displicentes, prout supponitur: posteriora sunt actiones personale jus lædentes; quia prohibitiæ supponuntur sub displicentiæ interminatione, ita ut etiam ex hoc unico capite displicentiam moverent, et pœnam provocarent, etsi ex se illa non mererentur.

Nec dicas 2^o. Peccatum veniale solum est prohibitum sub pœna temporali, privatione uberiorum auxiliorum, imminutione fervoris, charitatis et aliarum virtutum: et sic respicit vel bonum ipsius hominis, quod lex intendit, vel bonum aliud Deo extrinsecum; ergo sicut furtum, quo quis Regi occulce auferat pecunias vel alia fortunæ bona, non est injuria personalis et offensa regia, sed tantum realis offensa; sic etiam se habet veniale.

R. 1^o. N. A. Quia etiam est prohibitum sub interminatione displicentiæ divinæ.

R. 2^o. N. *Cons.* Quamvis enim amicitia cum Deo consistat in gratia sanctificante, et sic in aliquo extrinseco, tamen peccatum illam dissolvens recte dicitur offensa Dei personalis; quia per hoc Deus accipit jus odio habendi hominem, sub cuius interminatione peccatum prohibuit. Itaque et veniale potest dici personalis offensa, quia per illud Deus jus acquirit displicentiam suam erga hominem ostendendi, sub cuius interminatione etiam veniale prohibuit. Ad *paritatem* responsum jam est supra. Quin sicut furtum, si præsente, et sub displicentiæ vel indignatione regia illud prohibente Rege fieret, offensa regia et personalis evaderet: sic cum hæc eveniant in veniali, illud merito offensa divina etiam personalis nuncupatur.

Nec dicas 3^o. Etsi dicatur peccatum veniale aliquid leve continere contra personam Dei, non tamen proinde dicendum est, eum proprie offendere; tum quia quis non offenditur per actum indeliberatum, qualis est in veniali *ex imperfectione actus*: tum quia, si peccatum veniale non versetur circa Deum tanquam objectum, est tantum offensa materialis, non autem formalis Dei: tum quia, si etiam directe attingat Deum, tamen quia circa illum non versatur formaliter, ut ultimus finis est, adeo est levis malitia, ut nihil fere censeatur ad Dei honorem pertinere secundum moralem æstimationem.

R. D. Non tamen proinde dicendum est, eum proprie, hoc est graviter offendere C. proprie, hoc est, vere, licet leviter offendere N. Ad rationem 1^{am}. R. similiter. Sicut enim actus indeliberatus continet adhuc malitiam saltem levem, sic etiam dare levem offensam potest. Idem R. ad 2^{am}. Nam materialis offensa hic debet tantum sumi pro virtuali et interpretativa, qualis etiam peccatum mortale, quod directe contra Deum non tendit, dicitur. Si alio sensu sumatur, falsum asseritur. Ad 3^{am}. R. Quamvis nihil fere

censeatur pertinere ad Dei honorem secundum æstimationem moralem, tamen sicut re ipsa vere ac simpliciter non potest censeri nullum esse malum aut peccatum nequidem leve, sic censeri etiam nequit, nequidem levem offensam non esse.

CAPUT II.

DE POENA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

ARTICULUS I.

AN PECCATO MORTALI STATUTA ET DEBITA SIT POENA ÆTERNA?

49. *Nota 1.* Communis et certa est Theologorum sententia, quæ statuit cuilibet peccato mortali correspondere duplē pœnam, damni scilicet et sensus, uti ex variis parabolis Matth. c. 43. et ex judiciali sententia Christi in cap. 23. Matthæi, aliisque ex locis, ubi mentio fit exclusionis a regno Dei et ignis inferni, manifeste colligitur. Rationem assert D. THOMAS, quia peccato bina insunt: conversio ad commutabile bonum, et aversio a Deo. Aversio autem respondet pœna damni, ut, qui voluntate Deum reliquit, ejus amicitia et conspectus involuntarie privetur: conversioni respondet pœna sensus, ut *quantum glorificavit se in deliciis, tantum detur ei tormentorum*.

De utraque pœna, quæ, sicut peccatum re ipsa unum quid in genere moris constituit, sic una integra totalis pœna est, duplex hic quæstio moveatur: altera *facti*: an peccato mortali vel reprobis statuta sit pœna æterna, hoc est, nunquam finienda? altera *juris*: an mortale pœnam æternam mereatur ex natura sua, seu, unde sumenda sit ratio hujus perpetuitatis?

50. *Nota 2.* Platonicon fabulis, qui asserta metempsychosi animas plerasque peccatis suis ac inde etiam pœnis liberandas affirmabant, nimium addictus ORIGENES, pluribus in locis negavit, dæmonum ac reproborum hominum pœnas fore aeternas. Evidem purgare eumdem conati sunt præter alias Picus Mirandol., Merlinus et Genebrardus, sed irrito, ut PETAV. L. 3. de Angelis c. 6. ostendit, conatu; cum et propria ejus scripta, et THEOPHIL. ALEX., ATHANASIUS, EPIPHANIUS, HIERONYMUS ac AUGUSTINUS, maxime vero CONCILII GEN. V. id testentur, a quo Collat. 8. Can. 11. una cum scriptis error ille Origenis narrante Nicephoro L. 17. damnatus fuit. Preter hunc plures alias S. AUG. L. 21. de Civit. Dei recenset et refutat, qui homines saltem aut certas hominum classes variis ex fundamentis liberandas aliquando ab inferni pœnis erronee senserunt. Similem errorem postremis temporibus amplexi sunt *Sociniani*, negantes justum fore Dei judicium, si unicum peccatum æternæ pœnæ exciperent.